

S

H

B

S

Handwritten text in Gothic script, appearing to be a list or index of names or terms, possibly including 'H', 'B', and 'S' as markers.

Handwritten text in Gothic script, appearing to be a list or index of names or terms, possibly including 'H', 'B', and 'S' as markers.



Rep. LXXV.

T.

no. 15.

180/03

22.



DISPUTATIO SECUNDA
DE MUNDO, COE-
LO, ET ELEMEN-
TIS:

QUAM
DEO ter Opt: Max. auspice,
*In incluta Illustriss. Marchionum Brandeburgen-
sium Academia Francofurtana cis
viadrum,*

Sub praesidio
M. FRIDERICI MOLLERI
FRANCOF. MARCHICI,
Pro ingenij viribus defendendam suscepit,
IOANNES SCULTETUS,
Goldbergensis Sil.

Ad d. 23. Iunii Anno χριστογονίας
1602.
HORIS SOLITIS.

Euripides in Electra v. 385. & seqq.
Ὅυ μὴ Φρονήσῃ οἱ κενῶν δοξασμάτων
πληρῆς πλανᾶσθε. τῆδ' ὁμιλία βροσῶν
Κενεῖται καὶ τοῖς ἡγεσιν ὄν' εὐγενεῖς.

Typis Nicolai Voltzj.





VIRO

Magnifico, strenuo, nobilitate generis antiquâ,
auctoritate præcipuâ, eruditione præ-
clarâ, & heroicâ virtute præstan-
tissimo

DN. IOANNI A BOETSCH
ET PEISKORS DORFF IN BAR.
telsdorff & Olbersdorff,

*Domino & Mecenati suo plurimum
colendo.*

TV Patriæ decus, atq; meis Patrone Camænis,
Qui trahis à prisca nobilitate genus.
Accipe, sed facilis, quod dat tibi Musa, laboris
Symbolon, & genij pignora prima mei.
Accipe & ulterius succurrere perge clienti
Perpetuis studijs qui cupit esse tuus.
Vive valeq; diu, longâ dignissime vitâ
Vir, quò sis doctis firma columna viris.

*Joannes Scultetus
Respondens.*

71.
XII.

Quid autem illa materia sit, non concors est Philosophorum sententia. Nam Aegidius Romanus (H) cum alijs affirmat, coelum habere materiam elementarem. Est tamen inter eos Philosophos aliquid dissidij, ut constat ex Plutarcho (I) Mirandula (K) & Colleg. Conimbricensi (L) apparet. Nam Zeno (M) existimavit coelum esse aëriæ materiae. Aqueum esse coelum plerique ex Theologis & Philosophis asserunt. Basilus (N) & Ambrosius (O) putant coelum esse materiae igneae. Plato (P) docuit, Coelum non esse prorsus igneum, sed constitui ex floribus seu delitijs elementorum, maximè ex terra & igni. Nos Aristotelem (Q) secuti asseveramus, Coelum non esse materiae elementaris, sed quintae cuiusdam essentiae; quia elementa generantur & intereunt (R), Coelum a. est ἀγέννητον ἢ ἀφθαρτον καὶ ἀναυξῆς καὶ ἀναλλοίωτον (S.)

- (H) in q. de mat. caeli (I) Lib. 2 de Placit. Philosoph. cap. 11 (K) Lib. 1 de Exam. Vanit. cap. 12 (L) in Arist. lib. 1 Caeli cap. 2 q. 5 art. 1 (M) teste Laertio lib. 7. in vita Zenonis fol. 528 (N) Hom. 3. Hex. (O) Lib. 2. Hexam. cap. 3. (P) in Timæo Locro fol. 554 & eandem sententiam quoque Platoni tribuunt. Macrobius 11 lib. in somn. Scip. & Philoponus ad 6. & 13. Procli (Q) Lib. 1. Caeli cap. 2. (R) Arist. lib. 2 de Gen. & Corr. c. 7. & passim alibi; (S) Arist. lib. 1 Caeli cap. 3. T. 13 & lib. 2 Caeli c. 1. T. 1.

XIII.

De Coelo, quatenus simplex est, disputavimus hactenus: id jam considerandum tum juxta contiguas tum juxta continuas partes. Contiguæ partes sunt orbes: qui num in coelo sint reales, Philosophi disputant, alijs realitatem approbantibus, alijs eandem improbantibus. Nos tamen, receptam secuti sententiam, orbes in coelo esse reales, affirmamus: siquidem in coelo motus non undique sibi similes animadvertimus. Orbes nos statuimus decem, missis aliorum hac de re opinionibus, utpote mentione earum factâ alibi (T): ordo est talis: 1. Orbis est Lunæ, 2. Mercurij, 3. Veneris, 4. Solis, 5. Martis, 6. Iovis, 7. Saturni, 8. Stellarum fixarum, 9. est efficiens causa motus secundi, qui est ab occasu in ortum super polis Zodiaci, 10. est primum mobile & ultimum coelum. Notandum autem,

autem, quod supra hoc ultimum coelum adhuc aliud detur immobili,
le, quod coelum empyreum dicitur, & est beatorum curia & sedes.

(T) in th. 2 disp. 7 Collegij Physici & in comm. in cap. 9
Phys. instit. Cornelij Valerij. Consulatur Piccol. in lib.
de Cælo cap. 25 Casmannus Ouranograph. cap. 4 q. 2
Pererius Tom. 1. Comm. & Disp. in Genesin lib. 2 q.
4. & Philippus Mocenicus in Contempl. universal. In-
stitut. ad hom. perfect. contempl. 3 parte II cap. 2.

XIV.

Continuæ partes Cæli, quales potiss. Stellæ, jam perlustran-
dæ. Definitio Stellæ solet talis adferri: Stella est corpus simplex
constans ex densiore parte sui orbis, lucida, globosa, affixa suo orbi,
à quo circulariter atq; regulariter circumvecta periodum suam certo
& finito temporis spacio absolvit.

XV.

Ex data definitione constat, stellas habere eandem materiam
cum suo orbe (V); siquidem si diversam haberent, coelum corpus
simplex esse non posset (X). Quare quidam veterum & recentio-
rum Philosophorum sunt reiiciendi, quibus visum, stellas esse natu-
ræ elementaris; præcipuè Diogenes (Y), qui arbitratus est, sidera
esse terrea & punicea; Xenophanes (Z), qui efformavit astra è nubib.
igneis, quæ extinguerentur interdiu, & ad nocturnas tenebras revivi-
scerent, instar carbonū; Democritus, Zeno (A), Plato (B) Plotinus
(C), & Patricius (D) qui stellas esse igneæ materiæ, senserunt; Ana-
xagoras, qui, cum lapis (E) in AEGOS Thraciæ amnem decidisset,
affirmavit, coelum ex lapidibus constare, Solemq; candens esse saxū;
& Anaximander, qui, astra ex aëre confecta, putavit (F).

(V) Arist. lib. 2. Cæli cap. 7 (X) Piccol. lib. de Cælo c. 13
(Y) refert Colleg. Conimb. in Arist. lib. 2 de Cælo cap. 7
q. 1 art. 1 (Z) autore eodem Colleg. Conimb. d. l. (A) au-
tor est Laërtius de Vit. Philosoph. lib. 7 in vitâ Zenonis
fol. 526 (B) in Timæo fol. 529 & in Timæo Lotro fol. 554
(C) Ennead. 2 lib. 1 c. 6 (D) Lib. 15 Pancosmias (E) cujus
meminit Plutarchus in Lysandro Laërtius lib. 2 in vitâ
Anaxagoræ fol. 95 & Plinius lib. 2 Nat. hist. c. 58 (F) au-
tore Colleg. Conimb. in Arist. lib. 2 de Cælo c. 7 q. 1 art. 1.

Porro

XVI.

Porro ex datâ definitione liquet, astra esse lucida: illam a. lucem à Sole mutuantur, ita ut & ipsa quid lucis propriæ possideant.

XVII.

Insuper & constat ex allatâ definitione, stellas moveri cum suo orbe, ut tribus argumentis confirmat Aristoteles (G), cuius & patrocinium suscepit Fracaslorius (H). Hic autem motus nullum contentum edit, ut cum Pythagoræis sensit Plato (I) Cicero (K) & Philo Iudæus (L).

(G) *Lib. 2 Cæli cap. 8* (H) *in Opere Astronom. Sect. 1 cap. 2* (I) *in Timæo Locro fol. 554* (K) *in somn. Scipionis* (L) *in lib. de Somnijs.*

XVIII.

Corpus simplex, quatenus loco movetur, & omnis mutationis est expers, consideravimus hæctenus: idem nunc, in regione elementari quatenus varijs mutationibus est obnoxium, perillustrabimus. Quoniam autem hæc regio ab elementis nomen sortitur, de ijs disputabimus.

XIX.

Vocabulum elementi est ambiguum: ideoq; & distinguendum. Potest autem ex Aristotele (M) duplex acceptio vocabuli elementi notari. Altera est generalis, quatenus est simplex quid, indivisibile, primum, inexistentis: altera specialis simplicia corpora, quæ vulgò elementa vocantur, denotat. Definitur ab Aristotele (N) ultimo modo sumptum elementum, quod sit corpus simplex, *εἰς ὃ τὰ σώματα ἄλλα διαίρεται ἐνυπάρχον δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ αὐτὸ δ' εἶναι ἀδιαίρετον εἰς ἑπτατὴ εἶδη.*

(M) *Lib. 4 Metaph. cap. 3. T. 4* (N) *Lib. 3. Cæli cap. 3 T. 310.*

XX.

Numerus elementorum jam ponderandus: quem omnes non uno & eodem statuunt modo. Sed veterum missis opinionibus, si quidem illas posuimus alibi (O), recentiorum & Aristotelis opinionem spectabimus, nostram aliorum suffultam iudicio subjuncturi. Hippocrates (P) Plato (Q) Aristoteles (R) Galenus (S) Cicero (T) Plinius (V) Seneca (X) & recentiores ferè omnes, quatuor statuunt

sunt elementa, nempe ignem, aërem, aquam & terram. Quater-
 narium autem hunc numerum præcipue colligunt 1. ex συζυγίαι
 qualitatum primarum, 2. ex motu, 3. ex resolutione corporum
 mixtorum. E numero elementorum ignem eximunt plerique ex re-
 centioribus (Y), eum sub concavo Lunæ esse positum negantes.
 Nam si is daretur, & sub Lunæ concavo poneretur, necesse esset,
 nos omnia sidera per duplex intueri medium. Præterea omnis ignis
 in tres est divisus species (Z), anthracem, flammam & lucem: Sed
 ille nec anthrax, nec flamma, nec lux. Nos existimamus illum
 ignem non esse substantiali forma distinctum ab aëre, sed esse aërem
 levissimum calidissimum & siccum, vocarique κατὰ τὴν σιωήθειαν
 ignem. Vnde & Aristoteles (A) dicit: Ἐπὶ μὲν ἐν τῷ μέσῳ καὶ
 ὡς τὸ μέσον τὸ βαρύτερον ἐστὶ καὶ ψυχρότερον ἀπακεκριμένον γῆ
 καὶ ὕδατος. περὶ δὲ ταῦτα, καὶ τὰ ἐχόμενα τέττων ἀήρ τε καὶ ὄ-
 ρα σιωήθειαν καλεῖται πῦρ, ὅτι ἐστὶ δὲ πῦρ. ὑπερβολὴ γὰρ
 θερμῆς καὶ οἷον ζέου ἐστὶ τὸ πῦρ. ἀλλὰ δὲ νοῆσαι τὸ λογομύειον καὶ
 καλεῖται ὑφ' ἡμῶν ἀήρ. Ex his patet ignem illum, non esse revera
 ignem. Sunt ergo tria elementa substantiali formâ distincta, aër, a-
 qua & terra, quatuor autem igni adiecto, si accidentariam elementor-
 um proprietatem consideramus.

(O) th. 4 Disp. 8 Collegij Physici (P) in lib. de Nat.
 hom. (Q) in Philebo fol. 79 in Timæo fol. 527 in Ti-
 mæo Locro fol. 561 (R) Lib. 3 Cæli lib. 2 de Gen. &
 Corr. (S) in lib. de Elementis (T) in fragm. de Uni-
 versit. (V) Lib 2 Nat. hist. cap 5. (X) Lib. 2. de Ira
 cap. 17 (Y) Cardanus lib. 2 de Subtilit. Danaeus par.
 2. Physic. Christ. tract. 2 cap. 8 Pena in præfat.
 Optic. Euclid. Nicolaus Raymarus Ursus in Thesi-
 bus Astronomicis th. 9 Valla lib. 2 Dial. c. 2 Scribo-
 nius lib. 1 Phys. Snellius in partit. Phys. (Z) Plato
 in Timæo Locro fol. 561 & Aristot. lib. 5 Top. 5 (A)
 Lib. 1 Meteor. cap. 3.

XXI.

Aeris vocabulum est ambiguum: verum ambiguitatis distin-
 ctio potest peti ex Anutio Fœsio (B), Marinello (C), Sepialio (D),
 & Ero

AD
Humaniss. & Doctissimum
Dn. IOANNEM SCULTETUM SIL.
in Physicis differentem.

VT universo magni in orbis ambitu
Nil Sole clarius, nihil serenius :
Sic universo corporis nostri ambitu
Nil mente pulchrius, nihil divinius.
Radijs ut ille referat auricomum diem,
Suoq; adortus noctem & umbras lumine,
Facit invias obscuritate pervias :
Sic hæc supremum nos reducit ad DEVM,
Sanctamq; lustrat lucem & auram lumine :
Obscuritate ut invidâ fiat via.

Quis ergo menti sedulas non collocet
Curas adornandæ? quis inclyto ocio
Illa supernas coelitem haut scandat domos?
(SCULTETE quale in ocio negocium
Tractas serenâ tactus aurâ Pallados.)
Causas latentes quærat & res abditas?
Ipsamq; lucem luce mentis pensitet?
Imago Solis ut sit evidentior.
Nam mente splendidum lucratur præmium :
Per studia rerum duplicat gratas vices
Vitam æviternam vitæ adoptans debili,
Quâ post triumphet succulento gaudio.
Bona namq; fama vita est hominis altera.

M. Samuel Dresenius P. C.

Quis grata docilis te DEUS in Quod
Sudantem Clarijs mulcet amoribus
Docto, Iane, sub antro?
Cui totum studio dicas
Te cautus? Sophie proh tibi quot bona
Pro cultu ingenij, proq; laboribus
In cœli ac elementorum
Exhaustis studio, feret!

Quis

Quis te prosperior tunc erit ullibi

Qui semper facilem, semper amabilem

Habebis sopheriam, atq;

Cultores sopheriæ tibi

Faventes: miseri cui Sapiëntia

Subtraxit placidâ cum facie manum!

Est verò ille beatus

Cui se præbet amabilem!

M. Petrus Vernerus SiL.

Notar. P. C.

E Cœlo meliore parte nostri
Vitam ducimus: ast homunciones

In vitâ videas, nec infrequentes,

Qui cœlum minimè tuentur ôclis

Internæ ratiocinationis,

ut quæ sit patriæ domus futuræ,

Cognoscant: sed enim soli theatrum

Quàm poli magis osculantur. At tu

Qui sapias meliora, IAN E, cœlum,

Quod pictis sine fine ridet astris,

Dùm sensu Physicos abis in hortos,

Perpendis benè disputando: sed non

Id sedes animæ tuæ futurum.

Quapropter petis altiora, quando

Mentis remigio volas in ipsos

Sacri Codicis abditos recessus,

Et cœlum, quod habet Trias, futuræ

Discis esse beatitatis aulam.

O factum benè! namq; turba, quam tu

Quæ cœli via sit, docebis olim,

Summa commoda sentiet, paterq;

Summa gaudia sentiet, sed & tu

Summa præmia senties, & hîc, &

In cœlis, quod ayes, avemus omnes.

Ioannes Gebauer Iurium

& Poëtica Studios.

FINIS.

DISPUTATIONIS SECUNDÆ
DE
MUNDO, COELO ET
ELEMENTIS.

THEMA PRIMUM.



Principia & affectiones communes corporis naturalis cum sint explicatae, huius species jam explicandae restant. Quoniam autem corporum naturalium aggregatio Mundus dicitur, non abs re erit, de eo si quid praemisimus, demum ad corporum simplicium descensuri *Ἀριστοτέλι*

II.

Mundi vocabulum, qui & alijs (A) appellatur τὸ πᾶν seu univcrsum, [quamvis ut factum aliquem praeseferentem, hanc appellationem quidam respuant, ut ex Danao (B) Casmannus (C) annotat] ambiguum est. Triplex autem significatio praecipue reperitur apud Philosophos. 1. Denotat quid aggregatum ex omnibus DEI creaturis. 2. quod ex caelestibus & sublunaribus corporibus constat. 3. res corruptibiles corporeas.

(A) Piccolomineo lib. de Mundo cap. 1. Platoni in Timaeo fol. 526. Arist. lib. 1. Caeli cap. 1. T. 4. & lib. de Mundo cap. 6. Galeno in lib. qui inscribitur an animal sit id quod in utero est. Plutarcho in lib. adversus Colotem. Damasceno lib. 1. Orthod. Fid. cap. 5. & in lib. de Heresibus fol. 575. Proclo in lib. de aeternit. Mundi. Nazianzeno Apolog. 1. & Ciceroni in lib. de Universitate (B) Phys. Christ. par. 1. cap. 9. (C) Cosmopaias cap. 1. q. 1. fol. 4.

B

His praes

III.

His præmissis causam efficientem Mundi contemplabimur, quam quidam ipsi denegant, quidam autem adscribunt. A Eternitatem enim Mundi adstruentes (D), causam efficientem ipsi convenire negant.

(D) Ocellus Lucanus qui primus fuisse fertur æternitatis Mundane assertor, ut scribit Patricius Tom. 4. Discus. Peripat. lib. 4. fol. 400. Xenophanes referente Plutarcho lib. 2. de placit. Philosoph. cap. 4. Aristoteles lib. 1. Cæli cap. 10. T. 102. &c. Vide th. 4. Disp. 5. Collegy Physici. Averroës comm. 33. lib. 1 Cæli &c. Plotinus Ennead. 5. lib 9. c. 12. Proclus in lib. de æternit. Mundi & Plinius lib. 2. Nat. hist. c. 1.

IV.

Sed nos cœlestis gratiæ lumine illustrati affirmamus, Mundum esse conditum à D E O Triuno, edocti sacrarum literarum testimonijs (E); licet alios creatores quærant alij, quorum mentionem fecimus alibi (F).

(E) Esaiæ 45. v. 18. 1 Cor. 8 v. 6. Heb. 11 v. 3. Sap. 1. v. 14. &c. vide th. 7. Disp. 5. Colleg. Phys. (F) loco citato

V.

Illam a. creatio non est facta uno temporis puncto, velut Philo Iudæus (G) Augustinus (H) & Bodinus (I) somniant: sed sex dierum intervallis, ut ex Genesi Mosaica demonstrant Pererius (K) & Danæus (L).

(G) in lib. de Alleg. Leg. Mos. (H) Lib. 4 de Genesi ad literam cap. 21 (I) in Theat. Nat. fol. 17 & seqq. (K) Tom. 1 Comm. & disp. in Genes. Lib. 1. fol. 185 & seqq. (L) Phys. Christ. p. 1 c. 37.

VI.

Definitur a. Mundus à Platone (M), quod sit ζῶον ἐμψυχόν ἐνδύον τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὸ εἶναι θεῶν γενέσθαι ὡς νοῖαν. Melior est definitio Aristotelis (N), quod Mundus sit ἡ τῶν ὄλων τάξις τε ἔδωξις τε ὑπὸ θεῶν καὶ διὰ θεῶν φυλάττομένη.

(M) in Timæo fol. 527. (N) Lib. de Mundo c. 2.

VII.

Constat ex allata definitione Aristotelica, Mundi formam esse ordinem essentialem corporum conspirantium ad eius constitutionē.

VIII.

Merito ergo reprehenduntur: 1. qui unam formam Mundo convenire negant: 2. figuram sphaericam esse formam Mundi, qui affirmant: 3. Deum esse formam, qui existimant: 4. partem ætheream eam esse, quibus visum: & 5. denique quotquot cum Thaletē Milesio (O) Platone (P) & Patricio (Q) Mundum esse animatum dicunt: ideoque & eius formam esse animam statuunt.

(O) refert Laërtius l. 1 in vita Thaletis (P) in Timæo fol. 527 & in Politico fol. 174 (Q) lib. 4. Pampsych.

IX.

Et tantum de corporum naturalium aggregatione, MVNDUS: Ad ipsa corpora jam veniendum.

X.

Cum a. corporum naturalium aliud sit *σύνθετον* aliud *ἀπλόγουν* (R) & simplex prius sit compositis (S), à Cœli & Elementorum natura tractationem corporum naturalium auspicari, & *σύνθετα* corpora deinceps tractare lubet.

(R) Arist. lib. 1. Cœli cap. 2. T. 7. & cap. 5. T. 34. & lib. 3. Phys. cap. 5 T. 41 (S) Arist. lib. 2. Cœli cap. 4. T. 22.

XI.

Missa ambiguitate vocabuli cœli, quod Græcis dicitur *αἰθήρη* non *δοτὸν* & *αἰθερά*, quæ Anaxagoræ opinio, sed *ἀπὸ τοῦ αἰθέρου* (T), primò eius materiam considerabimus. Quæritur ergo utrum cœlo competat materia? Cœlum destitutū esse materia multis (V) visum est. Alij (X) arbitrantur, cœlo tribuendam esse materiam: ducuntur a seqq. rationibus potiss. 1. quia cœlum est corpus naturale (Y). 2. quia cœlū movetur localiter (Z) & moveri est materię (A). 3. quia cœlum habet accidentia, & ubi sunt ea, ibi & materia (B). 4. quia cœlum est *αἰθέρου* (C) & omne *αἰθέρου* est in materia (D). 5. quia Arist. cœlum esse *μεμιγμένον τῇ ὕλῃ* (E), & ex materia constare (F) affirmat. Verum in cœlo & reperitur & non reperitur materia. Non reperitur, quatenus ei non inest materia

B 2

moria

mortalium, quæ propriè materia dicitur, & est subiectum internæ transmutationis. Reperitur autem, si refertur ad dimensiones sibi coævæ, ad lumen, & præsertim ad motum, & tunc usurpatur latè pro subiecto. Hinc Aristoteles (G) asseruit, vel cælo non competere materiam, vel solum ad VBI,

(T) Arist. in lib. de Mundo cap. 2 (V) Iamblichus in lib. de myst. Egypt. Averrois in lib. de Subst. orbis c. 2 lib. 8. Metaph. cap. 4 & com. 7. & 10 lib. 1 cæli. Durando in 2 Sent. dist. 12 q. 1 n. 14. Trombeti 8 Met. q. 4. Ianduno q. 7 Phys. Scoto 2 Sent. dist. 14 q. 1 Themistio in context. 3 l. 3. Ph. & cõtex. 20 lib. 1 Cæli Simplicio lib. 1 Phys. T. 68, 2 Phys. T. 71 in 8 Phys. 79. in 1 Cæli 5 & 20 & 22. Olympiodoro in Proæm. lib. 4 Meteorolog. Mich. Ephesio in c. 1 lib. 1 de Partib. animal. & Zabarella in lib. de Natur. Cæli c. 4 & 5. (X) Plato in Timæo Locrensi fol. 554 Alexander Aphrodis. lib. 1 Nat. qq. c. 10 & 15 Ammonius in fine 4 Sect. lib. de Interpret. Ioh. Grammaticus ad 6 & 13 Procli. & de eo testatur Simplicius 8 Phys. 79 & 1 Cæli 22 Plotinus lib. 1 Ennead. 2 D. Thomas 1 p. q. 66 art. 1. & 2 Ægidius in q. de Mat. Cæli D. Basilius hom. 2 Hex. 1 D. Ambrosius lib. 2. Hex. cap. 3 Chrysostomus hom. 10 ad populum Antioch. Albertus in Tract. de quatuor coævæ, & in Summa Tract. 11 q. 53. Colleg. Conimbr. in Arist. lib. 1. Cæli cap. 2 q. 4 art. 2 & Casmannus Ouranograph. cap. 1 q. 10 (Y) Arist. lib. 1 Cæli cap. 9 T. 96. lib. 7 Metaph. cap. 2 T. 5 lib. de Partibus animal. cap. 5 & lib. 12 Metaph. c. 1 T. 5 (Z) Arist. lib. 2 Cæli c. 1 & 6 & lib. 11 Metaph. cap. 7. (A) Arist. lib. 2 de Gen. & Corr. cap. 9 T. 53 lib. 3 Phys. cap. 2. T. 17. & lib. à min. Metaph. T. 12 (B) Averroes com. 3 lib. 7. Metaph. (C) Arist. lib. 1 Cæli cap. 9 T. 98 (D) Arist. loc. cit. (E) lib. 1 Cæli cap. 9 T. 92 (F) ibid. T. 95 & lib. 7 Metaph. T. 12 (G) Lib. 8 Metaph. c. 7 T. 12.

Quid

& Erotiano (B). Est autem aër elementum leve, calidum, & humidissimum (F). Quamobrem primum in errore versantur maximo ñ (G) qui affirmant non aërem sed aquam esse humidissimam. Deinde errat Bodinus (H) affirmans, aërem suâ natura esse sic cum. Tertio meritò reñciuntur Stoici (I) Cicero (K) Seneca (L) Galenus (M) Cardanus (N) & Bodinus (O), qui aërem suâ natura esse frigidum, imò & frigidissimum, profitentur.

(B) Oeconom. Hipp. lib. 1 fol. 7. (C) com. 1. in libros Hipp fol. 7. (D) Com. 3 in lib. Hipp. de Aerib. aquis & Locis par. 31 Cel. 251 (E) in Introduct. Voc. quibus Hipp. utitur fol. 14 (F) Hippocrates in lib. de Carnibus Aristoteles lib. 2 de Gen & Corr. cap. 3. T. 23. & cap. 4. T. 25 lib. 2 Cœli cap. 13 T. 79 lib. 4 Meteor. cap. 10 lib. de sensu & sensili cap. 5 lib. 2 de Gen. animal. cap. 2 & Probl. Sect. 20 probl. 3 (G) Galenus lib. 1 de Elementis cap. 3 & lib. 1 de Simpl. med. facultatibus cap. 8. & 32. Avicenna lib. 1. Fen I doct. 2 cap. unico Thomas ad T. 2, 3 lib. 2 de Gen. & Corr. Albertus Magnus lib. 2 de Gen. & Corr. Tract. 1. cap. 12 Mongius & Coslaus in Comm. in Avicennæ lib. 1. Fen I doct. 2 cap. unico fol. 10. Aëtius Tetrabibl. 1 Serm. 1 fol. 4 (H) in Theat. Nat. pag. 156 (I) referentibus Laertio lib. 7 in vita Zenonis fol. 531 & Plutarcho in lib. de primo frigido fol. 499. (K) Lib. 2 de Nat. Deor. (L) Lib. 2 Nat. qq. cap. 10. (M) in lib. quod an. mor. corp. temp. seq. cap. 4 & lib. 8 de usu part. cap. 3 (N) De Rer. Variet. lib. 1. cap. 2 & de Subtilit. lib. 2 fol. 36 (O) in Theat. Nat. fol. 155.

XXII.

Aquam dictam esse volunt Lactantius (P) & Freiglus (Q), quasi à qua essent omnia: unde & eam Thales Milesius omnium rerum principium dixit, referente Laertio (R). Scaliger (S) ineptos vocat,

vocat, qui aquam dictam credunt, sine qua esse non possemus. Græcis hoc elementum dicitur ὕδωρ, cuius vocabuli varius est usus apud Medicos & Philosophos, & præsertim apud Hippocratem, referentibus Fœsio (T) & Marinello (V). Est autem aqua elementum grave, frigidissimum & humidum (X). Quare exulant alij (Y), qui aquæ summum frigus denegantes idipsum terræ adscribunt. Nec audiendus Bernardinus Telesius (Z), qui aquam omnem calidam esse disputat.

(P) Lib. I cap. 5 (Q) Lib. XXI. QQ. Phys fol 437
 (R) Lib. I in vita Thaletis fol. 18 (S) Exercit. 325
 Sect. II (T) Oeconom. Hipp. lib. 20 fol. 633 seqq.
 (V) in libros Hipp. Comm. I fol. 12 seqq. (X) Arist.
 lib. 2 de Gen. & Corr. cap. 3. T. 23 & lib. de Sensu
 & sensili cap. 4 Aëtarius de Methodo medic. lib.
 I cap. 2. fol. 140 Empedocles, Ocellus & Strato referentibus
 Plutarcho in lib. de primo frigido fol. 499
 & Patricio Discus. Peripatet. Tom. II lib. 6 fol.
 254 (Y) Avicenna lib. de Cælo cap. ult. Thomas
 ad T. 23 lib. 2. de Gen. & Corr. Albertus Lib. 2 de
 Gen. & Corrupt. tract. I cap. 12. Iohannes Baptista
 Montanus in Comment. in Lib. I Canon. Avicenna
 prim. Fen. lect. 9 fol. 60 seqq. (Z) de rerum nat.
 lib. 3. cap. 25.

XXIII.

Terra est Elementum gravissimum, frigidum & siccissimum (A).

(A) Aristot. Lib. 2 de Gen & Corr. T. 23 & c.

ZHTHMATA.

I. Vtrum corpora cœlestia sint animata?

Chaldæi affirmativam tuentur sententiam. Hos secutus Plato (B) & Origenes (C): hic etiam, Stellas esse virtutis ac vitij capaces, affirmat,

affirmat, imò nec dicere veretur, Christum non tantum pro peccatis hominum, sed etiam astrorum esse mortuum. Sed placet opinio contraria; siquidem anima est ἐπιλήχεια σώματος φυσικῶς ὄργανον (D), & in cœlo nulla organorum conspicitur varietas.

(B) in Epinomide fol. 701 (C) Lib. 1 & 7 de Principijs cap. 7 & Tom. 1 Comm. in Iohannem (D) Arist. Lib. 2 de Anim. cap. 1 T. 7. Vide Damascenum lib. 2 Orth. Fid. cap. 6, Cyrillum lib. 2 contra Iulianum Augustinum lib. Retract. cap. 5, Hieronymum super cap. 32 Deuter. & ad cap. 1 & 45 Esaiæ & in Epist. ad Pammachium & Avitum, Thomam 1 p. q. 70 art. 3, Albertum in Trañ. de quatuor coævis q. 4 art. 25, Pererium Tom. 1 Comm. in Genes. lib. 2 q. 7, Collegium Conimb. in lib. 2 de Cœlo cap. 1 q. 1 Piccolomineum lib. de Cœlo cap. 24 Casmannum Astrolog. p. 1 cap. 3 q. 1 & Goelenium Disp. Phys. lib. 5 disp. 6 in anctuario fol. 389 & lib. 2 disp. 2 th. 78 seqq.

2. Vtrum corpora cœlestia agant in mundum sublunarem?

Cum Philosophis (E) præstantiss. affirmativam tuebimur sententiam; quippe cum videamus, Solis motum adferre quadripartitam anni distinctionem: & Galenus (F) præcipiat, quod astrorum ac Lunæ potiss. congressiones ad spectusq; ad opportunam corporum curationem spectandi sint. Concludimus ergo cum Aristotele (G) & alijs (H), quod corpora cœlestia tum per motum, tum lucis beneficio agant in hæc inferiora

(E) Trismegisto in Asclepio Platone in Theateto Aristotele lib. 12 Metaphysic. T. 32 & c. vide disp. 6 quaest.

(F) in 3 de diebus Criticis (G) 1 Meteor. cap. 3

(H) Averroes com. 32 lib. 2 Cæli & Thomas 1 p. q. 67 art. 3.

3. Vtrum aqua nutriat?

Aquam non nutrire, Averroes (I), Galenus (K) & Cardanus (L) concludunt, ipsam a. nutrire Plato (M) adstruxit: disputatq; Hora-

ci

cius Augenus (N), suæ sententiæ patronum habens Aristotelem (O).
At idem Aristoteles (P) adfirmat, nullum elementum per se, & in
suo naturali statu constitutum posse alicuius rei viventis esse alimen-
tum. Dicendum ergò aquam puram non nutrire, sed mixtam. Hinc
facile patet, illa loca Aristotelis quomodo conciliari possint.

(I) Lib. 2 Colliget cap. 19 (K) Lib. 4 de usu part. cap. 5
(L) de Sanit. tuenda lib. 1 cap. 5 (M) in Politico fol.
176 & lib. 8 de Legib. fol. 649 (N) Tom. 2 Epist. &
Consult. Medicinal. lib. 2 epist. 10 (O) Probl. Sect. 1
Probl. 4 (P) Lib. 2 de Gen. & Corrupt. cap. 8. T. 49.
& lib. de sensu & sensili cap. 5. Vide Colleg. Conimb. in
Arist. lib. 1 de Gen. & Corr. cap. 5 q. 7 art. 2 & Hiero-
nymum Mercurialem in Tract. de Vino & Aqua c. 6.

FINIS.



DISPU.

Op. vas. 87 m

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q

Q